



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De quarta Oblatione in Missa 97

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Sacerdos in Sacra Cœna Deo Patri dilectum Filium suum Christum Dominum nostrum offerat pro peccatis, & ad salutem cum mortuorum tum viventium homines persuadentur, vel saltem in ea persuasione relinquuntur, quod sacrificium istud ad remissionem peccatorum, omnimodamque corporis & anime salutem illis sit profuturum, si seiplos pecunia, & corporali assistentia apud missam participes eius faciant, quomocumque tandem fides eorum & pœnitentia de peccatis sit comparata. Longè enim maxima pars eorum qui missas audiunt, de vera pœnitentia & fide nihil omnino curant, id quod tota eorum vita declarat, ad missas verò non mediocri studio & contentione accurrunt.

Haëtenus de tertio sacrificio, videlicet de preceationibus, quas in missis super sacrificium recitant: quæ quàm benè aut malè quadrent in sequentibus dicitur.

De quarto Missæ sacrificio.

CAP. XCVII.

QUOD Ecclesia Christi seipsam Domino offerre debeat, hostiam viventem ut monemur, Rom. 12. id piè & Christianè ab Aduersariis in hoc articulo & D. Augustino proponitur, verum res ipsa in faciendis missis penitus reclamatur. Populus enim hac de re nihil quicquam docetur, nemòque ad id faciendum, quemadmodum conueniebat promouetur.

Sacerdotis officium erat populum sacræ Cœnæ præsentem doctrinâ, adhortatione, gratiarum actione, oratione, & distributione sacramentorum in acceptum gratumque Deo sacrificium sanctificare & instruere, sicut beatus apostolus in Domino gloriatur, *quod per Euangelium gentes preparauerit acceptam & sanctam hostiam per Spiritum sanctum.*

Roman. 16. quò postea quilibet seipsum, & totam præsentem congregationem simul cum Domino per sacerdotem Deo offerret, *uidentem sanctam & acceptabilem hostiam.*

Rom. 12. At quid eiusmodi in omnibus eorum missis vel dicitur, vel exercetur, quod ad istud sacrificium conferat, imò quod non potius huic vero sacrificio repugnet?